



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1604**

Vita S. Svitberti, VVerdensis Ecclesiae primi Episcopi, & Confessoris,  
Saxonum Frisonumq[ue] Apostoli: ex ea quæ est prolixè admodùm  
conscripta, à Marcellino presbytero, & S. Ludgero primo ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42667**

Moritur pro iustitiæ defensione.

pressus, antè è vita migravit, quam iniquo pos- lato subscriberet. Quis neget hoc martyrii genus & quidem acerbissimum esse, nam cum pro iusti- tiæ defensione sanguinem fundere non possit, quòd sanè illi gratissimum fuisset, extrema ius- titiæque iustitiæ confectus, expiravit. Et hic qui- dem fuit, post multos in terris exantlatos labores beatissimi Præsulis finis; cuius sacrum corpus Germano Parisiorum Episcopo, huius Pontificatus successore, cum debito honore (prout præclara ius- tus sanctitas merebatur) cum in aliud egregio tem- pere templum transferretur, tres paralytici mem- gram membrorum sanitatem consequuti sunt, & duo præterea cæci meritis eiusdem Sancti, grati- simum Solis lumen aspexère. Administravit autem Pontificiam dignitatem cum summa integri- tate & eximia sanctimoniz laude, annis viginti quinque & mensibus sex, pro qua à Domino tem- piternam iustitiæ coronam, anno ætatis suæ octo- gesimo in cælis recepit,

Præclara mi- racula in translatione reliquiarum eius.

\* alias Sui- berti. Vide Cæf. Baron. Tom. 8. & 9. Annal. Ecclesiast.

VITA S. SVITBERTI, VVERDEN S. S. Ecclesia primi Episcopi, & Confessoris, Saxoniae Frisonumq; Apostoli: ex ea qua est prolixè admo- dum conscripta, à Marcellino presbytero, & S. Ludgero primo Monasteriensi Episcopo.

r-Martij. Hic Pötifex in exilio mortuus est.

Obijt hic Sanctus Anno Domini 717. Anno Domini sexcentesimo quadragesimo septimo, tempore sanctissimi Papæ Martini & martyris eximij, Constantino Ro- manorum, Osvino, sancti Osvaldi regis man- tyris fratre, Angliæ scepra moderante, fuit in Anglia in regno Nord Humborum princeps quidam, Comes, de Nortingram, Sigibertus nomine, qui cum coniuge sua Berta insigni admodum nobili-

Genus S. Sui- berti cla- rissimum.

Virgine foemina; mirae virtutis fulsit insignijs. Ha-  
bit Berta matrem Ostridam, patrem Edilredum,  
Ostridus Ostrum, Ostrus Eugistum, à quo Britan-  
na, Angliae primum nomen, edepta est.

Pia haec & nobilis Comitissa frequenter cum  
magna animi sui voluptate considerans mul-  
torum principum filios, mirabili virtutum  
splendore ornatos, primarias ecclesiasticae di-  
gnitatis sedes in Anglia administrare, multipli-  
cesque pietatis fructus cum summa regni totius  
pace ad populum vniuersum transmittere, incre-  
dibili diuini luminis cupiditate inflammata, assidu-  
is precibus à Domino prolem postulare inli-  
quam sacro eius seruitio perpetuo consecrare  
iussit.

Nocte quadam leni sopore oppressa, visa sibi  
videre est, rutilantem in firmamento mirae ma-  
gnitudinis stellam, ex cuius Orientali parte, duo  
radii dissimili radij miro fulgore micantes procede-  
bant; quorum vnus Germaniam, alter Galliam  
spectabat. Tandem vero postquam illam summa  
admiratione diu contemplata esset, è caelo  
infratum eius delapsa est. Quo casu, ingenti for-  
midine correpta, edito clamore, Sigebertum de  
domino excitauit; qui ex insolito coniugis clamo-  
re, membrorum omnium tremore correptus, tan-  
tae formidinis causam studiosè quaesiuit. Nec mo-  
do mane facto, Aidano Lindisfarnesi Episcopo ac-  
tore visionis seriè diligenter exponunt; qui diuini  
luminis splendore illustratus coniectura minime  
dubia, eos in spem prolis, quae multis doctrinae &  
sanctitatis suae claritate, lucè allatura esset, vocat.

Nec sanè sefellit eos coniecturis veritas, nã puer  
pene incunabilis, egregiũ virtutum maxima-

rum

Berta & ma-  
riti eius Si-  
geberti Co-  
mitis pietas.

Berta postu-  
lat à Deo  
prolem.

Visio Berta  
Nascitur eis  
filius.

rum specimen præbuit; & nè aduersa vitiorum tempestate quassatus, in cæcos errorum scopulos aliquando impingeret, ad tutissimum religionis portum, ætatis suæ quintodecimo, confugit. Postquam nouem annos continuos, assidua rerum diuinarum contemplatione exegisset, sacerdotij gradum adeptus est; quem annis deinceps, tanta vitæ sanctimonia administravit, vt Reges & principes in magnam sui admirationem pertraheret.

Anno ætatis  
suo quinto-  
decimo, re-  
ligionem  
intrauit.

Egbertus E-  
boracensis  
Antistes, Ca-  
nonicum eum  
ordinat.  
Fit Abbas.

Anglorum  
admiranda  
pietas.

Abbas Co-  
lumbanus.

Rex Coadu-  
ualla, & rex  
Offa, sunt  
monachi.

Egbertus autem Eboracensis ecclesie Archiepiscopus, fama sanctitatis eius excitatus, vocatum ad se in sanctissimi Apostolorum principis Ecclesia, Canonicum fecit; vbi biennio indefesso vigiliarum & orationum diuinarum quo rerum studio exacto, Abbas monasterio, Dacore dicto, Præfectus est. Erat tunc temporis in Anglicanis hominibus tam ardens deuotionis pietatisque studium, vt certatim non modò plebei, sed vtri principes, & reges ipsi, spretis mundi delicijs & opibus, in summa vitæ paupertate Christi fideliter vestigijs insisterent. Alij igitur animarum saluti strenuam operam nauabant, terrasque ingratas cum ingenti periculo & labore iustrabant, vt homines cæcis errorum tenebris miserè inuolutos, ad clarissimam Euangelij lucem vocarent; quorum vnus sanctus Columbanus Abbas duodecim clericis stipatus, Galliam peragravit, & à misera dæmonum seruitute plurimos ad Christi libertatem transtulit. Alij sanctorum limina singulari animi deuotione obibat, & res mirabiles Deo duce gestas, intimis sensibus recondebant; quorum Coadualla opibus & honore potens Rex, & Offa Cantuariorum Rex, insignes admodum fuere; qui anno Domini sexcentesimo octu-  
gesimo

gestimo nono, spreto regali diademate, ad sacra monachorum castra confugere: & à Sergio Papa externis spiritualis militiæ insignijs donati sunt. Alii diuini amoris facibus vehementius inflammati in vastas solitudines, & ab omni familiari hominum congressu vacuas, sese abdiderunt, quorum S. Iudocus & S. V. Vinocus regum filij mirabiles extiterunt.

Iudocus & Vinocus regum filij sunt eremitæ.

Suibertus autem occultò numinis instinctu edoctus, spretis nouæ dignitatis honoribus (in quibus vno dütaxat anno perficit) magno studio & labore ad animarum salutem procurandam se comparauit. Nam vt V. Vilfridus Episcopus Lindisfarnefsis, deinde Merciorum, nouissime Eboracensis Archiepiscopus, Romam iturus, flante Faustino, mirabili Dei prouidentia ad Frisiam ap- pulsus, per totam hyemem gentem illam cæcis errorum omnium tenebris miserabiliter immer- sam, noua Euangelij luce illustrandam suscepit, & aliquam gentis illius ad Christum conuertendæ spem ostendit; Egbertus vt gentem Frisonum Saxonumque ( à quo Angli originem duxisse feruntur) à misera dæmonum seruitute, in Christi libertate vindicaret, missis duodecim insigni ad- modum pietate & eruditione viris, præclare, quod Dei virtute & gratia moliebatur, effecit.

V. Vilfridus Dei prouidentia, in Frisiam uenit.

Horum autem nomina fuerunt: V. V. illebrordus, Suibertus, Acca, V. V. igbertus, V. V. illibaldus, V. V. Marcellinus, Leuinus, duo Ewaldi, V. V. Verenfridus, & hi quidem omnes sacro presbyte- rij ordine insigniti. Postremò Adelbertus Leuita, Detrorum regis filius, quorum alij sanguine suo Euangelij veritatem consignarunt, alij ad extremū spiritum pro eorum salute laborantes, pla- tide quieuerunt.

Nomina eorum, qui primi in Frisiam, ad gentis conuersionem, missi fuerunt.

FFF

Hi

Radbodus  
Rex Frisiz.

Destruunt  
Christi Sa-  
cerdotes,  
Iouis & Fo-  
stæ delubra.

VVigbertus  
martyr in  
Frisia.

Alij pulsi a-  
beunt ad Pi-  
pinū Fran-  
ciz Princi-  
pem.

Hi igitur excellenti vitæ puritate, contra an-  
nem perfidię rationem muniti, anno Domini  
centesimo nonagesimo, Sergij verò Rom. Pontif.  
tertio, Imperante Iustiniano religionis & pietatis  
laude florentissimo, & Aldevino Colonia  
ecclesię episcopo decimo, in VViltensburg hinc  
Traiectum prospero vento delati sunt. Agebat  
tempestate Radbodus, Frisiz Rex, virtute Pipini  
de Herstallo, principis Christianissimi Majora  
domūs Franciæ, pulsus, fugatusque apud insulam  
quandam (quam à Deo quodam suo Fostæ) Fostel-  
landiam appellabant. Hanc Christi sacerdotes  
magna virtute ingressi, Iouis & Fostæ delubra de-  
struxerunt, multoque tandem sudore tres viros  
Euangelio genuerunt.

Radbodus verò audita idolorum suorum rui-  
na sanctum VVigbertum comprehendit, & accro-  
cissimis mactatum supplicij, interim iustus reli-  
quos exilij poena multatos, Euangelij prædica-  
tione interdixit; qui incredibili gaudio pro acce-  
pta pro Christi nomine contumelia perfulsi, ad  
Pipinum se receperunt; à quo egregio humanita-  
tis & benevolentię officio excepti, nō multo post  
tyranni viribus planè contritis, in eadem messem  
missi sunt. Et primò quidem ab omni iniuria Bar-  
bari, quāquam in scelere perfidiz obdurati, se co-  
tinuerunt; seuera nimirum Pipini denunciatione  
prohibiti, nè quā Christi seruis calumniam intol-  
lerent. Sed non potuit illa Barbarorum modestia  
suppliciorum formidine constituta, esse diuer-  
na; nam simulatq; minimam concepti in seruis  
Dei furoris expromendi occasionem oblata vide-  
runt, eā minimè neglexerūt. Cum enim Svitber-  
tus paucis stipatus neophytis, fidei calore incen-  
sus, ad diuersas Germaniæ prouincias excurreret  
& vicum

vicum quendam Duerstat dictum, nefaria idolorum cultura celebrem inuenisset, insticit diuini verbi fulmine execrandam impietatem deicere; quo Barbaræ mentes vehementius irritatæ, sublati clamoribus, violenta manu in carcerem eum traxerunt, omnique scelere occultam ei necem inferre contenderunt. Sequebantur eum multis cum lachrymis Vverenfridus & Marcellinus, quos ille forti & inuicto animo consolatus ad constantiam ne mortem pro Christi gloria subeundam extimescerent, hortatus est.

At verò cum carceris squalore circumdatus, omnique humano solatio destitutus, orationi innumberet, adfuit subitò cælesti conspicuus splendor Dei Angelus; qui Christi famulum confractis vinculis, serisque resecatis, in libertatem restituit, atque vt constanter Euangelium enunciat, ei præcepit. Pergit igitur confidenter Suitbertus, & maxima ubique sui admiratione, plures iam à morte ad vitam reuocare incipit. Stupescunt Barbari Christi virtutem, idolorumque suorum vanitatem paulatim agnoscentes, impietatem detestabantur.

Eodem anno peruenit in villam quandam Hollandiæ quam Hagenstein appellant, in qua impijs idolorum cultoribus sacrû solenne erat, summaque ipsius religione celebratum. Hic vir Dei animo commotus, cunctos ad se vocauit, & maxima vocis intentione nefandam sceleris impietatem, qua conuersi erant, explicauit, omnibusque, ni resipiscerent, horrendum ignis sempiterni supplicium denunciavit. Christi verò gratiam, & bonitatem & immensum regni cælestis opes, tanta claritate in oculis eorum constituit, vt vehementer earum amore eos inflammeret. Tunc Barbari ne inani verborum iactantia

Fff a

fidem

Suitbertus  
in vincula  
conijcitur.

Angeli visi-  
tatione vin-  
culis libera-  
tur.

Prædicat S.  
Suitbertus  
in Hagen-  
stein, villa  
Hollandiæ.

fidem adhibere viderentur, Giselbertum inter  
quendam luminibus ab utero materno miseror-  
barum adducit, ut eum Christi virtute, quem pro-  
dicabat, illustraret; si faceret, sine mora contra  
Christo libenter nomina darent; suo autem, cruce  
li mortis supplicio, ut impostorem & parentum  
traditionum subuersorem macularer. Iusta hac ne-  
cessitate compulsus Svitbertus, flexis cum summi  
veneratione genibus, supplices Deo preces obte-  
lit: & sancto salutiferae crucis signo super oculos  
caeci formato, cum corporis lumine caelesti  
ma lumen induxit. Tantae igitur fidei miraculo  
omnes percussi, manus in caelum tendunt. Dei ser-  
uum cum ingenti admiratione venerantur, idolo-  
rum vanitatem execrantur, certatimque diuini  
vita superstitione relicta, ad sanctissimum  
Christi sacra confugiunt.

Interea numero fidelium indies magis magis  
que crescente, visum est cunctis gregi vniuerso  
antistites praepone: quorum auctoritate facili-  
us id quod haecenus multo sudore partum erant,  
conseruaretur. Conueniunt igitur fratres, & Ne-  
ophyti omnes, nec longa consultatione habita,  
Vvillebrordum & Svitbertum caeteris omnibus  
eo in munere praefereudos iudicant. Svitbertus  
igitur Pontificia fultus auctoritate, multo fiden-  
tius alacriusque in opus incumbere & persequi  
reliquias miraculorum etiam virtute extirpare  
coepit.

Accidit ut ecclesiam in Malsen in comitatu Te-  
sterbandia, super annu, solenni dedicatione con-  
secraret. Huic, Splinderus adolescens quidam admi-  
dum generosus, ut interesset, iumina nauigij con-  
tentione laborauit. Volebat autem actus viri sancti  
quos fama eius celebres ubique fecerat, studiose  
is es-

Homini a  
netiuitate  
caeco, visum  
restituit.  
Hagenstei-  
nenses cre-  
dunt in Chri-  
stum.

Svitbertus  
& Vville-  
brordus E-  
piscopi co-  
stituantur.

Svitbertus  
consecrat  
ecclesiam in  
Malsen.

explorare: vt inueniret homo à Christiana ve-  
 nate alienus, quod in eum calumniaretur. Con-  
 gregatus autem vt dicacitati & facetijs intectus, è mar-  
 gine nauiculae in aquas decideret, & ante quam  
 capillum adferri posset, fluctibus haustus merge-  
 retur. Tunc clamores ingentes, cum eiulatu valde  
 lugubri exorti, plurimos ad triste spectaculum  
 conuertarunt; donec res ad parentes delata est; qui a-  
 nimu[m] dolorem multis lamentis testantes, huc atq[ue]  
 illuc cursitabant, si quã fortè opem inuenire pos-  
 sent. Tandem Christianorum exemplo admoniti,  
 cadauer iam aquis, extractum in templu[m] Martis  
 miserunt. Ibi tum multis precibus pro filij salute  
 illius numen facigatum est, tantisque obsecrati-  
 onibus laboratum, vt Christianos, qui spectatores  
 steterant, vehementer ad misericordiã incitarent.  
 Mortuatur igitur Guntherum (hoc nãque nomen  
 patri adolescentis erat) vt execrabili errore reli-  
 gioso animo confidenti ad Suitbertum iret, opemq[ue]  
 supplicibus ab eo verbis contenderet, qui Christi  
 virtute minimè dubiam salutis spem præstaret.  
 Ille vt erat iuctu lachrymisq[ue] oppletus, quanta  
 posuit celeritate maxima, ad seruum Dei veri p-  
 perat, orat, obsecratq[ue] vt aliqua sui misericordia  
 capiat, filiumq[ue] qui erat vnicus, morte misera  
 illi extinctu[m] ad vitam reuocet. Si faciat, se pro-  
 prius cum tota familia & cognatis Christo credi-  
 tarum. Suitbertus quamuis hominem multis ra-  
 tionibus ab animi ægitudine releuaret, & ad fir-  
 missimam salutis spem in Christo constituendã  
 exortaret, ad cadauer tamen venire piè recusauit:  
 offerens Deum, cuius iudicia vera & iusta sunt,  
 nequaquã in re tã graui tentãdum esse. Sed cum il-  
 le vehementius instaret, & per oēs sanctitates ob-  
 secraret, iuic Suitbertus; cui Mechtildis mater

Defunctum  
adolefcen-  
tem, ad vitam  
reuocat.

Multi ere-  
dunt in Chri-  
stum,

VVillebror-  
dus & Suit-  
bertus Hol-  
landiam &  
Frisiam, con-  
uertunt.

VVillebror-  
dus primus  
Traiectenfi-  
um Archie-  
piscopus.  
Svitbertus  
prædicat  
VVestphalis

Splinteri, luctu affiduo miserabiliter deformus  
occurrere, tantam misericordiam inculsit, ut  
xima de Dei bonitate, concepta fiducia ad corpus  
defuncti accesserit: & fufis, cū ingēti lachrymā  
vi, ad Dominū precibus, apprehēsa dextera detin-  
ētū erexerit & sanū eū Christū Iesum magna vo-  
ce cōfitentē, parentib. tradiderit. Attulit hoc vo-  
uerfis non solum ingentem admirationem, sed  
tantam etiam formidinem, ut statim contra  
idolis Christo nomina darent, cœlestemque vi-  
dictam, si diutius in perfidia scelere permanerēt,  
vehementer pertimescerent.

Intere à VVillebrordus, qui Romæ à Sergio Pa-  
pæ Archiepiscopi munus, cum sacra mandati im-  
positione acceperat, in Germaniam rediit. Cui  
Svitbertus circa Embricam, festiuo occurres ga-  
udio, magnifica Dei opera enarrauit, & in societate  
sacri muneris accepit, qui coniunctis deinde vi-  
ribus, non modo Hollandiam, Frisiamq; à flagiti-  
orum tenebris in lucem iustitiæ vindicauerunt, sed  
& Lotharingiam & Daciam cum eximio fructu  
obeuntes, plurimos ad Christi seruitutem adiu-  
xerunt. Post longa tandem itinerum spatia mag-  
no labore emensa, iterum se Traiectum recepe-  
runt, vbi VVillebrordus Apostolicæ Sedis aucto-  
ritate primus Archiepiscopus, dignitatem illam  
multis titulis ornatam constituit.

Svitbertus autem alijs etiam gentibus euangeli-  
cæ libertatis felicitatem annunciare cupiens,  
VVestphalam & Saxoniam inferiorem alacritate  
incredibili peragravit, diabolicæque veritatis  
fraudes patefaciens, è durissima miserrimâq; ser-  
uitute plurimos in libertatē vindicauit. Erat Mo-  
nasterij mulier quædam, quæ tanto tamq; miserrimi-  
bili

membrorum contractu laborabat, ut mostro  
 magis quam homini similis esset. Cumque om-  
 nibus penè facultatib. in medicos expensis, à spe  
 salutis depulsa esset, audita celebri viri Dei fama  
 petijt se ad eum adduci. Adducitur misera, & sup-  
 plicibus ab eo precibus in Christi nomine, quem  
 nonnunciari audierat, sanitatis beneficium postu-  
 lant, protinus est cõsecuta; Hæc virtutis fama, sta-  
 tim in Bilueldiam ad prædiuitem quendam virũ  
 Adelbertum nomine peruenit: qui in vltimum  
 hæc discrimen pestilentis morbi contagione de-  
 ductus, in firmam spem salutis animum erexit, si  
 vel conspectu viri Dei frui posset. Nec mora, duo  
 eius famulis Monasterium profecti, adducunt  
 Adelbertum, qui spe animarum magis, quàm cor-  
 poris salute excitatus, minimè cunctatus est ho-  
 minem, fusa de more oratione, à præsentis mortis  
 periculo eripere, & fugatis errorum tenebris ad  
 clarissimam veritatis lucem transferre.

Mulierem  
 contractam  
 sanat.

Liberat præ-  
 diuitem quen-  
 dam à mor-  
 tis periculo.

Cæco bacu-  
 lo suo, vi-  
 sum resti-  
 tuit.

Prædicat  
 Brunsvicensi-  
 bus.

Hoc miraculo cum vberimo animarũ lucro,  
 parato, magna Christianorum gentiliumque sti-  
 pitus caterua, Monasterium repetijt. In via autem  
 quendam magnis vocibus opem implo-  
 rantem obuiam habuit; cui missio per VVillei-  
 rum presbyterum baculo suo, visum restituit:  
 multosque paganorum eo facto ad Christum  
 adduxit. Hinc animo inflammato, Brunsvicensi-  
 bus Christi gratiã annunciare properauit; Cum-  
 que summa vocis contentione, dura perfidorum  
 peccata expugnare non posset, vidit signis rur-  
 sus & prodigijs opus esse. Erat in vico, qui præ-  
 ceteris hominum frequentia celebrior erat, ho-  
 mo quidam, cuius sinistrum latus omni sensu  
 priuatum erat, omnemq; medicorum industriã

vi morbi superabat; hic audito Svitberti aduentu summis infimisq; precibus, ne ad se venire graueretur, orat. Venit sine mora vir Dei, hominemque

**A** poplesti-  
qu, signo cru-  
cis sanat.

salutifero crucis signo, cum ingenti paganorum admiratione, sanū restituit. Mox igitur factō hoc hominum sermone diuulgato, varij animorum motus exorti sunt; alij Christi virtutem debitis laudibus extollebant, alij maleficum à medio tollendum clamabant, tantaque populi commotio facta est, vt collecta manu nefaria, S. Svitbertū & satrapā eius loci, qui Christianorum rebus studebat, occidere pararent. Svitbertus conspiratione comperta, ne vno temporis momento, morte sua, quam minime horrebat, rem Christianam in periculum adduceret, cessit impijs eorum contibus; relictoq; felice Bosone presbytero, qui neophytorum animos ritē curaret, ad Boructuarios migravit; quorum mentes teterrima ignorantie caligine obcæcatas, non sine multis magnisque periculis, prædicationis lumine illustravit.

**Tumultus.**

**Boructuarii,**  
os ab errore  
liberat, & ad  
Christum  
adducit.

Erat in villa Velsenberch, vir quidā opum estimatione princeps, Ethelhere dictus. Hic demōnio obsessus, grauiissimo catenarū pondere constrictus iacebat; tanta enim rabie cū in alios, tum in seipsum ferebatur, vt nullis vinculis nullis hominum viribus cōpesci posset. Hunc Svitbertus solo verbo crucisq; signo, & à demōnis tyrannide liberavit & tanto diuino cognitionis lumine illustravit, vt plurimos suo exemplo à prauitate vitæ & perfidiæ scelere, ad ardentissimum virtutis pietatisque studium excitaret. His sanè felicibus initijs Boructuariorum salus egregiè crecebat, firmabaturque, donec hominis vnius intemperantia, quod multo sudore partum fuerat, dissolutum dissipatumque est. Venit, eo tempore

**Dzmonio**  
obsessum  
crucis signo  
liberat.

Bruno

bruno magnus Saxonum satrapa in prouinciam  
 oruatuorum, pernoctansq; in vico Ratingen,  
 tra inter ipsum & loci eius primicerium ex  
 pietate diffensione, vitam homini per summum  
 scelus eripuit, Amici sceleris grauitate vehemē-  
 ter commoti, eadem crudelitate satrapam con-  
 solunt. Hinc statim atrox bellum inter vtramq;  
 gentem exortum, mutuas caedes excitauit, & res  
 Christianorum planè dissoluit.

Bruno Saxo-  
 num satra-  
 pa, primice-  
 rium vici  
 Ratingen  
 interfecit.

Item Satra-  
 pa confodi-  
 tur.

Suitbertus angelico monitu Coloniā petens,  
 honorificè admodum è Plectrude Ducis Pipini  
 cuiusdam coniuge susceptus, alijs atque alijs mi-  
 raculis nouam sibi sanctitatis famam concilia-  
 uit. Quare nobilis matrona, eximia viri sancti-  
 tatis delectata, ei vicum, quem VVerdam ap-  
 pellant, non ita procùl à Rheno distitum liberali  
 donatione à Pipino impetrauit; vbi Suitbertus  
 celebre in honorem Gloriosæ Virginis monaste-  
 rium à primis fundamentis erexit.

Suitbertus  
 venit Colo-  
 niā.

Monasteriū  
 in VVerda  
 construit.

Erat in vico vir quidam nomine Hungerus, cui  
 postquam ad Christi fidem adiunctus est, Petro  
 nomen impositum fuit. Erat enim fidei calore  
 incredibili accensus, ideoque hoc nomen à Suit-  
 bertus obtinuerat. Hic dum summa diligentia nè  
 opus aliquo temporis spatio intermitteretur, in-  
 teriret; accidit, incertum quo casu, vt curru lapidi-  
 bus vehementer onusto, opprimeretur. Cumque  
 omnium opinione iam mortuus ad sepulturam  
 deferretur, & lugubri eiulatu multi funus pro-  
 seperentur, Suitbertus ad triste spectaculum ge-  
 mitibus & clamoribus excitatus, iussit corpus ad  
 suam domum deportari; ibidemque multiplica-  
 tis cum ardēti lachrymarum vi precibus homi-  
 nem ad vitam reuocauit; vixit autem idem Pe-  
 trus, in sancto monasterij eiusdem seruitio, et-

Suitbertus  
 mortuū ad  
 vitam reuo-  
 cat.

iam post migrationem S. Svitberti sanus & incolumis.

*Migrat ad  
cælum.*

His alijsque quàm plurimis maximarum virtutum ornamentis excultus, in monasterio à constructo, anno ætatis suæ sexagesimo nono, à gilolpho Coloniensem dioccesim sedula pietate administrante, migravit ad cælum; Sacrum autem corpus cum multis suorum lachrymis in ecclesiam delatum, novis rursus miraculis omnium animos in sui admirationem, Deique laudes excitavit. Cùm enim ingens pauperum & miserorum turba, qui hæctenus sancti præfati beneficium vitam sustentarant, conflueret, adfuerunt aliorum misericordia adductus vir quidam, tetro cacodæmone obsessus, qui solo feretri contactu, à longa hostis nequissimi vexatione liberatus est. Accessit deinde cæcus quidam, valde lugubri eiulatu à viro sancto opem flagitans: nec prius sacras etiam psallentium voces clamoribus suis interrumpere destitit, quàm luminis beneficium impetrasset.

*Dæmoniacus, contactu feretri S. Svitberti sanatur.*

*Cæcus visum recipit.*

Longum nimis foret singula quæque referre, quæ vir diuinus tam in terris quàm in cælis cum ingenti animarum salute edidit. Erat Verdenis quidam civis, Suuederus, insigni admodum pietate præditus, qui anno Domini septingentesimo decimo octavo, Susatum, gentilium civitatem, ingressus, ad perfidi cuiusdam hospitis & in Deum scelerati domum diuertit. Cumque inter pocula de Deorum potentia disputatio exorta esset, Suuederus scelerata hominum impiorum oratione commotus, Deorum vanitatem ostendere, impietatemque constanter execrari, Dei Christi virtutem, in S. Svitberto admirandis rerum factis coruscantem, prædicare & extollere

*Insignis pietas, cum miraculo admirando, coniuncta.*

barbari hominis constantiam cum summa Deo-  
 rum suorum iniuria ludibrioq; admirantes, præ-  
 cepiti mentis furore in eum inuadunt, multisque  
 plagis affectum, & lingua, qua impietatem redar-  
 guerat, per summam crudelitatem priuatum. è do-  
 mo exturbant. Sed Suitbertus pro cuius defensione  
 hæc patiebatur, præclare adfuit. Omnes enim  
 viros, qui numero septem, tanti sceleris rei erant,  
 subito luminibus orbatos & cruciatu intolerabi-  
 li affectos, maximum animi dolorem cum mul-  
 tis gemitibus & clamoribus coniunctum edere  
 compulit; opemque ab eo, quem malè multa-  
 uerant, & contumelijs affecerant, infimis preci-  
 bus postulare. Suuederus quamuis morte penè  
 circumuentus, eximia tamen pietate Christiani  
 hominis officium erga perfidos assumpsit. Nutu  
 igitur, & signis, omni que ratione ad luctum &  
 lachrymas & sceleris in Deum eiusque seruum  
 admissi, detestationem eos hortatus est. At illi mul-  
 tis precibus, & lachrymis cum crebro singultu  
 veniam petere, manus in cælum tollere, & maxi-  
 mis vocibus falsa Deorum numina detestari. Suue-  
 derus hæc significatione doloris, incredibili gau-  
 dio exultans, suauiter eos amplexatus est, omnes  
 que benignè susceptos, ad spem recuperandi vi-  
 tus secum ad S. Suitbertum pergerent, excitauit.  
 Pergunt igitur a lacriter, seseque totos Suuedero  
 committunt. Ille ante monumentum cum circū-  
 stula turba consistens, quia lingua non poterat, cor-  
 de tacito Suitberti opem implorauit. Et ecce vi-  
 sus sibi sanctus a desse, qui sacræ manus suæ cōta-  
 ctu loquelam restituit, laxatisq; linguæ fibris, ad  
 Dei laudes prouocauit. Cæci vocē eius in quē sce-  
 lus perpetrarant audientes, & timore perculsi, &  
 spe ad simile sanitatis beneficium, consequendum  
 exci-

Nota rem-  
admiranda.

excitati, obnixius veniam & misericordiam postularunt, quam cum animarum etiam salute protinus obtinuerunt. Refert hic Marcellinus vir excellenti vitæ integritate præditus, qui horum omnium scriptor est, ipsos panes qui ad vescenti in mensa appositi erant, quando perfidi in Suederum ea crudelitate, qua dictum est inuerti sunt, in lapides durissimos trāsmutatos esse, qui etiam ad sempiternam rei memoriam ad sepulcrum Sancti Svitberti ab iisdem collocati sunt.

Eodem anno quatuor viri diuersis temporibus vsq; ad mortem pestilenti contagione laborantes, ad sepulcrum eius cum oblationibus adducti, sanitatem consecuti sunt.

Tempore verò Pipini Regis Francorum filij Caroli Martelli Principis, Hildegerus Archiepiscopus Coloniensis, (qui mediante Rangesedo, sancto successerat Agilolpho) cum quadam die contra perfidos Saxones cum eodem Pipino in expeditione profectus fuisset, graui admodum lapsu, armis onustus ex equo in terram decidit, fractisq; scapulis cum altero brachio, cerebroq; comminuto in vltimam vitæ desperationem adductus est. Nocte verò sequenti Sanctus Svitbertus in somnis adfuit, monuitq; vt cum firma recuperandæ sanitatis spe sepulcrum in Verda visitaret. Paruit ille protinus, & sanitatem cum ingenti omnium admiratione recepit.

Hiscæ alijsq; quam plurimis præclaris miraculorum virtutibus: Pipinus incredibili erga Svitbertum amore affectus, castrum munitissimum ad monasterij eius, in quo sancti corpus quiescebat, defensionem extruxit: vnde insignem sepe victoriam de hostibus suis reportauit. Cum autem Christianorum iugum, collectis vndique vi-

Hildegerus  
Archiepi-  
scopus Co-  
loniensis,  
sanatur ad  
sepulcrum  
S. Svitberti.

ibus Saxones & VVestphali excutere decreuissent & Pipinum cum suis penè circumuentum interneccione delere pararent, Pipinus suis planè diffidens viribus, cum rem in vltimum discrimen adductam videret ex equo descendens, fixis in terram genibus, manibusque in cælum sublatis, Suitberti opem implorauit; promittens si è præfenti periculo eriperetur, se nudis pedibus VVerdum iterum, & vota ad sancti sepulcrum soluturum. Et ecce cælitus diffusa lux, Christianorum exercitum circumcinxit, tantoque hostium animos patiore cõpleuit, vt missis continuò legatis, pacem postularent; quæ libens à Pipino concessa fuit, & vota singulari pietatis studio ab eo persoluta.

Anno Domini septingentesimo quinquagesimo nono, quo Pipinus Franciæ Rex mandato & auctoritate Zachariæ Papæ consecratus fuit, Hunaldus comes de Angiers, VVerdense propugnaculum contra paganorum impetus tuendum accepit; qui cum plerisque sui exercitus militibus pestilenti contagione correptus, & à medicis relictus, magna animi fiducia ad Suitberti merita confugit, sanctissimo se voto astringens, si mortis periculum euaderet, eius se seruitio mancipaturum. Vix voto emisso, morbi contagione liberatus conualuit, multosque suo exemplo ad sancti memoriam celebrandam prouocauit.

Eodem anno Stephanus Papa eius nominis secundus Alstulphi Longobardorum regis atrocissimæ ecclesiæ hostis, armis petitus, in Franciam, cum sacro Cardinalium cõcetu ad regem Pipinũ peruenit. A quo eximij beneuolentiæ & amoris signis exceptus, præclaras Sancti Suitberti virtutes intellexit; rogatusque vt sanctum in diuorū

Pipinus  
Francorum  
Rex, Suit-  
berti ope  
mortis pe-  
riculum e-  
uadit.  
Votũ eius.

Hunaldus  
Comes, à  
mortis peri-  
culo, emisso  
voto statim  
liberatur.

Stephanus  
Papa venit  
in Franciam  
ad Pipinum  
regem, peti-  
tus armis A-  
stulphi re-  
gis Longo-  
bardorum.

rum

rum numerum referret, non inuitus concessit. Sed aduersa valetudine grauitur oppressus. negotium hoc venerabilibus patribus & Pontificibus, sancto scilicet Hildolpho Treuirorum, Bonifacio Moguntinorum, Archiepiscopo, Fulcario Leodiensi Episcopo, & præcipue Hildegero Coloniensi Archiepiscopo commisit; qui tamè bellorum tempestatibus impediti, desiderio suo satisfacere non potuerunt. At Hildegerus, antè quàm

**Hildegerus**  
in bello Saxo-  
nico, pro  
Christo occi-  
sus.

**Mutus &  
Surdus** sana-  
tur, oscula-  
ta dextera S.  
Suiberti.

**Leo Papa,**  
cælitum ei  
honores  
dececnit.

**Vide poenas**  
hominis sa-  
cilegi.

in bello Saxonico pro Christi fide occumberet, VVerdam contendit, vt sacrum Suiberti corpus de terra sublatum auctoritate Apostolica exaltaret. Aderat tunc fortè ciuis quidam Colonienis, Robertus nomine; idemque mutus & surdus, apprehensam sancti dexteram deuorè excolatus est; qui mox non sinè astantium omnium stupore, & auditum & loquelam meritis S. Suiberti recepit.

Est autem diuorū catalogo ascriptus à Leone 3. Papa, Carolo Magno in clyto Pipini regis filio imperante, qui cum gentiles Hispanos ad Christi fidem armis adiungere contenderet, Saxones & VWestphali in perfidiæ scelere perdurantes, arrepta occasione monasterium S. Suiberti & templum ab eo constructum, flammis absumpserunt. Quo in scelere, antè alios insignis Ogellus Osterbach de Paderborne, cum gloriabundus de perpetrato facinore se commilitonibus suis venditaret, iusto Dei iudicio dignas temeritatis & sacrilegij poenas debita & horribili morte iuit. Subito namque in terram retrorsum decidens, fractis ceruicibus expirauit. Tres interim horas scelerati corpus insepultum iacuit; cum fama per castra dispersa, tandem ad consanguineorum aures peruenit; qui cura sepulture assumpta, in

remiterio S. Suitberti fossam parare volentes, <sup>Nota rem stupendam.</sup>  
 nulla id ratione efficere potuerunt: quin defluen-  
 te semper humo, fossa completeretur. Cuius rei  
 miraculo attoniti, intellexerunt scelestum eo pla-  
 ne loco quem prophanauerat, indignum esse. A-  
 micis interim pauidis, quid facto opus esset. con-  
 sultantibus, alij quidam cadaver piscibus Rheni  
 deuorandum tradiderunt.

Interea nunciatur Nothelino & Oconi præ-  
 cipuis satrapis, Ogellum Dei & S. Suitberti vin-  
 dicta perurgente, sceleris sui poenas dedisse. Qui  
 vehementer indignati, casu hoc accidisse dixe-  
 runt, nullaque omnino potestate S. Suitbertum  
 præditum esse, vtpotè qui ne templum quidem  
 honori proprio dedicatum, ab incendij flamma  
 trahi potuisset; multa deinde conuicia & blas-  
 phemias in sanctum iocando iactitarunt: sed non  
 impune. Nothelinus enim subito oculorum lu-  
 mine priuatus, & acerbissimo viscerum dolore <sup>Diuina via-  
 dicta, in  
 Suitbertum  
 blasphemantes.</sup>  
 cruciatus, reatum agnouit, flexisque humiliter  
 genibus, Deo vouit, si pristinam visus facultatem  
 reciperet, quòd templum in cineres redactum e-  
 ngeret; supplexque sacra Suitberti lumina visita-  
 ret. Conualuit protinus, & votum eximia pietate  
 impleuit.

Occo verò cum opimis Christianorum ditatus  
 spolijs domum pergeret, & in via, ignarus quid  
 Nothelino accidisset, de vastitate templo illata  
 gloriaretur mox scelerata lingua obmutuit, &  
 aurium auditus obstructus est. Redijt hoc modo  
 domum ingenti mœrore oppressus; & dolore  
 admissi sceleris percussus, non prius sanitatis  
 remedium inuenire potuit, quàm Nothelini  
 exemplo scelus magna animi humilitate dete-  
 ctus, voto suscepto Suitberti sepulcrum visita-

ret, collatisq; facultatibus monasterium templum  
que restauraret. Vbi deinde amore erga sanctum  
concepto, relicta dignitate opibusq; contemptis,  
miro deuotionis studio, toto vitæ suæ tempore  
seruiuit.

Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo octuagesimo tertio, Carolus Caroli Franco-  
rum Regis filius, cõserto iuxta munitionem Dro-  
mi prælio, insignem contra VVestphalos obtinuit  
victoriam, multosq; in internecione delectra-  
ter quos Bruno quidam vir prædiues, & armorum  
gloria illustris (qui antea Eldack dictus ad Chri-  
sti fidem conuersus, hoc nomen Brunonis assump-  
serat) cum Ducis sui imperio coactus bello in-  
teresset, multis concisus vulneribus spem salutis  
abiecit; sed cum ei Svitberti in mentem veniret,  
& quomodo perfidis etiam opem suam benignè  
admodum præstitisset, concepta fiducia ad patro-  
cinium Svitberti confugit; vovitque si imminen-  
tè mortis horam euaderet, se sacro eius ser-  
uitio in VVerda mancipaturum. Hæc ille suspi-  
rijs & gemitibus identidem repetebat: & ecce  
Svitbertis mira claritate refulgens; visus est mi-  
sero adesse, & ad firmam salutis spem erigere.  
Splendor interim mirabilis Christianorum ocu-  
los, (qui iam tunc inter mortuorum cadavera,  
fuso fugatoque hostili exercitu, versabantur) per-  
stringebat, & ex luminis claritate, suspicantes al-  
liquem sanctitate conspicuum, inter cadavera  
occisum, singula diligentè explorant; inueni-  
tque Brunone mortiferis vulneribus conciso miran-  
tur hominem viuere posse. At ille multis lachry-  
mis cum crebro singultu rem totam exponere  
cepit, quomodo imperio sui Ducis coactus ar-  
ma contra Christi fideles Christianus sumere do-  
buit.

S. Svitber-  
tus apparet  
Brunoni gra-  
uiter vulne-  
rato, & ip-  
sum pie in-  
uocanti.

fuisset: iustoq; Dei iudicio prostratus, & in vltimum vitæ discrimen adductus, meritis S. Suitberti, (quem in omni vita patronum elegerat) huc usq; seruatus esset. Illi visione luminis admoniti, fidem verbis facillè adhibent; nec mora, omni humanitatis officio hominem souent refouentq; & breui ad pristinam sanitatè reducunt. Qui tam eximio Suitberti beneficio excitatus, sacro se eius seruitio in VVerda consecrauit.

Fama inde miraculorum magis magisque crescente, Leo Papa tertius, cum per summum Romanorum scelus insidijs peritus, lingua oculisque priuatus fuisset, & singulari Dei beneficio angelico ministerio sanitati restitutus, ad Carolum Franciz Regem peruenisset (à quo nõ multò post in sedem suam restitutus est) VVerdam, vt Suitbertum inter diuos referret, contendit. Confluebat eò ingens sexus vtriusque multitudo, ad tantę celebritatıs acium. Inter quos vxor Bartoldi Domini de Grinbergen, Irmgardis dicta, germana venerabilis patris Hildebaldi Colonienfis Archiepiscopi, duabus stipata pedissequis, & filio suo Gocellino octo circiter annorum puero, matris sui consensu eidem celebritati interesse decreuit. Cumque conscensa nauis, littori appropinquarent, Gocellinus, margine lubricante in Rhenum decidit, submersusque ex oculis omnium euanuit. Quo viso mater eiulatu valdè lugubri, littora compleuit, nec vllam consolationem admittit: quin concito gradu ad Suitberti ecclesiam properans lamentis se dedit, noctemque insomnem ducens, vouit: si filium viuum reciperet, se sacro eius ministerio ipsum oblaturũ. Certatim à multis vncis ferreis alijsq; instrumentis nauticis, laboratũ est, vt ex aquis defunctus extraheretur;

Ggg

cum

Leo Papa 3.  
à Romanis  
oculis & lin-  
gua priua-  
tus.

Fuer Gocellinus a quis suffocatus, ad vitam reuocatur ad sepulcrum S. Svitberti.

cumq; diu frustra sudatum esset, Lambertus Dosel Embricensis quidam vno vestem apprehendit, extractumq; matri presentauit. Quae mater cum amplexata affectu, cum multis lacrymis ante Svitberti sepulcrum deposuit, nequus à fletibus precibusque cessauit, quam cunctis vt par erat, mirantibus, vita defuncto reddita fuit. Clamores igitur ingentes cum incredula læticia exorti sunt; moxque Bertoldus relictus patris, vt adfuit, & filium, cuius mortem lamentabatur, viuum sanumque vidit, protinus argentea torque, qua Gocellinus ornatus erat, deposita, sacro eum Svitberti seruitio manseruit. Irmgardis verò Bertoldi coniunx, & Archiepiscopi Colonienfis Hildebaldi germana soror, manus in cælum tollere, Svitberti virtutem & merita prædicare, omnibusque modis cunctos ad Dei bonitatem debitam celebrandam laudibus inuitare,

Anno septingentesimo septuagesimo septimo tres adolescentes generis quidem nobilitate clarissimi, sed virtutibus obscuri, facta conspiratione, arcam in qua sacra Sancti Svitberti ossa asservabantur, auri gemmarumque splendore decoram, spoliare decreuerunt; cumque iam sacrilegas in eam manus conijcere vellent, arca (mirum dictum) in sublime se extulit, nec tamen à nefario conatu destiterunt, sed vnus eorum audacia insignis, duas laminas vi auulsit, quibus tanquam opulentijs spolijs fugam inierunt. Cum verò extra Verulamdam omneque periculum se constitutos arbitrentur, intra eiusdem oppidi mœnia versantes triduoque inani labore consumpto, nihil se proficere intellexerunt. Neque cibum interim vel potum sumpserunt; tanta contentione, vt periculum

Nota miraculum.

lum euaderent, laborabant. Tandem preciosum  
 metallum argentario cuidam venale obtulerunt;  
 qui diligentius iterum atque iterum hoc ipsum  
 contemplatus, se hoc suis manibus finxisse &  
 exornasse dixit, & sacrilegio de Suitberti sepul-  
 cro sublatum esse confirmavit. Fit, oborta inter  
 eos contentione, populi concursus; & sacrilegi  
 manifestò conuicti, scelus fatentur; & quomodo  
 triduo errantes effugium nullum inuenire potu-  
 issent, exponunt.

Fuit quidam Seuerinus inferioris VVesaliae ci-  
 uis vir humanæ gloriæ supra modum appetens, &  
 opibus ac potentia valdè clarus. Huic erat filius  
 maximarum artium disciplinis egregiè instru-  
 ctus, sed caduco morbo, quem lunaticum vocant,  
 miserabiliter obnoxius. Pater hac filij miseria  
 grauiter perculsus, ne ex eo aliquam ignominia  
 notam familia contraheret, callidè cum ingenti  
 presentis pecuniæ vi multisque promissionibus  
 VVerdensi eum coenobio obtulit. Fratres viso  
 Conrado ( hoc namque adolescenti nomen erat )  
 fraudis ignari, maxima animi lætitia eum rece-  
 perunt; sed cum interiecto paucorum dierum  
 intervallo, humi sæpè labantem, & clamores  
 valdè miserabiles edentem vidissent, omnis eo-  
 rum lætitia in graues mœrores mutata est. Tan-  
 ta enim rabie interdum agitabatur, vt fratres eo  
 relicto omnes diffugerent, nec quisquam esset  
 qui opem ei adferre auderet. Igitur à fratrum  
 consortio, & communi mensa remotus, cœpit  
 graui suscepti statùs tædio laborare, & in mise-  
 randa solitudine contabescere: & tandem, vt fieri  
 solet, longa animi ægritudine victus consilium  
 inire, vt vel ad sæculi delicias rediret; vel si hoc  
 minus ex voto succederet, vitam inuisam vio-  
 lenta

Fraudulētē  
 homo mor-  
 bidus fratri-  
 bus VVerdē-  
 sis coenobij  
 obtruditur.



Lunaticum  
fanat S. Sui-  
bertus per-  
visum.

lenta morte abrumperet. His cogitationibus miser nocte dieq; æstuans, & modò consentiens modò acriter resistens, Svitberti assiduo opem implorabat; qui nocte quadam adesse visus, eum constantiam in Dei seruitio ad vltimum visum spiritum seruandam, hortatus; & vt intelligas, inquit, quanta vos oēs in hoc loco Deo seruientes sollicitudine complector: ecce infirmitatem tuam aufero. Perge igitur & strenuè in Dei laudibus perseuera, fratribusque, vt te in societatem recipiant, denuncia. His dictis, disparuit; & ipse sanitatem consequutus, suauissimum virtutum omnium odorem toto vitæ suæ tempore præbuit.

Vide  
Cæf. Baron.  
Notar. Mar-  
tyr. Rom.  
Tom. 8.  
Annal.

VITA S. SIVIARDI ABBATIS AN-  
suleusis, per quendam eius contemporaneum, Cla-  
ruit temporibus Theodoricæ Regis Franco-  
rum, cuius regni anno 8. ex hac vita  
migravit, qui fuit Christi  
Domini 604.

i. Martij,  
Genus Sui-  
ardi & pa-  
tria  
Mores eius  
& studia in  
adolescetia.

**N**atus est Sanctus Suiardus in pago Ceno-  
mannico, nobili admodum profapia, pa-  
tre scilicet Sigiranno; matre vero insigni  
pietate femina Adda. Et quidem Suiardus in  
primo adolescentiæ flore; inter cæteros coetane-  
os illustre semper eximie pietatis specimen præ-  
buit: ætatem moribus transcendens. Labores in  
litteris incredibili alacritate ferebat: nullisque  
poterat diuinæ sapientiæ epulis satiari; & quan-  
quam maturâ esset sapientiâ præditus, tanta ta-  
men modestia erat, vt nihil nisi de consilio do-  
ctissimorum agere, nihil attentare vellet. Cumq;  
Doctores interdum officio fungi cogeretur, tanta  
id modestia, tantaq; suauitate exequabatur: vt ab  
oie